

ELEGIA V.

ROGERO BOSCOVICHIO

ROMAM REDEUNTE.

Ergo meus fœda morbos e sede Maconis
 Rogerus niveis huc redit alibus,
 Et flavum Tiberim, & Capitolia celsa revisit!
 Ergo virum, sanctæ fœdus amicitia
 Cui me sic totum devinxit, carior esse
 Ut fratri frater non queat unigena:
 Cujus sæpe meo mercari funere vitam
 Optavi, dabitur sospitem, & in columem
 Amplecti, colloque affundi, notaque verba
 Audire, inque vicem reddere! Io trepidat
 Pectus: io vario miscentur corda tumultu,
 Mensque furit cunctis ebria lætitiis:
 Qualem Agamemnoniam quondam perhibent Electram
 Postquam insperato, cui soror inferias
 Miserat, & flavum ponens de vertice crinem
 Mœsta diu falsos fleverat ad cineres,
 Vivum insperato, & reducem conspexit Orestem,
 Plenam exultanti pectora lætitia
 Bacchari insanum in morem, nec parcere voci,
 Atque arcte fratris colla, humerosque sui
 Complexam interea singultu non sine crebro
 Ubertim dulces fundere lacrimulas.
 Aut nihil, aut paullum cui nunc mea gaudia cedunt,
 Quippe etenim similis mi dolor, anxifero
 Ægram convolvit curarum turbine mentem.
 Ut timui! totos ut miser obrigui,